…aus

…cavis

Krzywański Kaz.

Scholar. Piar. Petricov. Coll: Volumen magnorum operum unica litera orbem polonum informans – Stanislao Warszycki dedicatum.

VOLUMEN
MAGNORUM OPERUM
Vnicâ Literâ Orbem Polonum
INFORMANS,
In duos Tomos
DIVISUM,
&
ILLUSTRISSIMO DOMINO
D. STANISLAO
IN WARSZYCE
WARSZYCKI
Capitaneo Łancicienſi, ad Tribunal Regni Deputato Judici.
In ſolenni Capitaneatûs ſui ingreſſu
A Subjectiſſimo Scholarum Piarum Petricovienſi Collegio
DEDICATUM
Anno Sapientiæ Increatæ 1689.

VARSAVIÆ, Typis Collegij Scholarum Piarum.

In Avitum Stemma
Illuſtriſſimæ Domûs WARSZYCCIANÆ.



Vnica quantumvis, ſed multi litera ſenſus
Inq; ſatis magnum ſola volumen abis,
Ex hoc multa poteſt ſtudioſus diſcere lector
Dum non tam verba, ut grandia facta leget.

Franciſcus Dzierzáwſki
Scholarum Piarum Alumnus.

PRÆFATIO
AD ILLVSTRISSIMUM CAPITANEUM.

VOlumen Tibi offerimus Magnorum operum, ſed Tuorum ILLUSTRISSIME DOMINE. Aliud quidem & immediatè præcedens Dominica Lætare, & ſolennis Tuus in Capitaneatum Łanciciensem ingreſſus à nobis requirere poterat: ſed nihil facilius à Scholaſticis expectes, quibus Domeſtica Litera Tua ſimilem dedit materiam, quæ duobus hîc Tomis incluſa, aſt in Orbe Polono plenis expreſſa bibliothecis.

Per hanc (ſi rectè ponitur) Viros vos eſſe cognoſcim⁹, ſi invertitur, Magnos; ſemper tamen WARSZYCCIOS. Hæc non verbis, ſed factis Lectorem inſtruit, & licet magnas tàm domeſtici decoris, quàm Cōjunctarum Familiarū in ſe continet lineas, non alio tamen præterquā indelebili Heroicæ Virtutis expreſſas charactere. Patieris igitur Tua Tibi offerri ILLUSTR: DOMINE, in quib⁹ rem non verba pōderes, materiā, non Authorē æſtimes; & dum omnia perlegeris, etiam hoc tàm ex hac pagina, quàm ex cordibus noſtris legito, quòd ſit.

ILLUSTRISSIMO NOMINI TUO

Deditiſſimum

Coll: Petricovienſe Schol: Piarum.

PANEGYRICUS

PAucis multa complecti, & ex unico argumento plures educere materias, qvidpiam humano ingenio majus est ILLVSTRISSIME DOMINE. Nimirum & facundia subinde in loqvacitatem abit, & Orator garruli nomen vix effugit, ubi debitæ, res inter ac verba defectus notatur proportionis. Semel in tota æternitate locutus DEVS, nemo tamen plura, vel meliora dixit; tam facundus in uno verbo, qvàm elingues alij in multa farragine. Infinita sapientia duabus literis Alphá & Omegá inclusa, grandem huic universo proposuit eruditionem. Non rarò deficit ingenio, qvi verbis abundat; & plerumq; dum aures captat, longè est ab assensu. Optima dicendi æqvè ac scribendi methodus est, nucis putamini Iliadem includere, & finito discursu novam illius famem in animis excitare. Ad hanc normam editũ volumen est, magnorum in Republica Polona meritorum unicá eáqvé Illustrissimæ Domus Tuæ gentilitiá literá orbẽ informans; qvòd si de condigno tractari deberet, grandem in bibliothecam abiret, adeoqvé, ut& tempori, & Tuæ, qvá laudes fugis modestiæ, provideat, summatim solummodo in duos Tomos dividetur.

TOMUS PRIMUS

AD constitutionem totius certas reqviri partes manifestum est; cum & ipsum tempus licet nihil certius præter nunc contineat præsens, non incongruè tamen præterito æqvè gaudet ac futuro. Nec derogatur illi per hoc, qvòd præterijt: nec in ambiguum vocatur, qvòd succedit. Qvin imò vtcunq; esse desierint, semper tamen dulcis recordatio præteritorum. Nempe præteriti ratio forma qvædam est futuri, vt si qvid feliciter successerit, hoc ipsum securo exemplo affectari; sin secus, commodius possit evitari. Nihil decrescit per hoc magni sanguinis arbori, licet unus aut alter ex ea fructus decerpitur, imò si fatalē manū extendere præsumat Proserpina etiam in ramum, uno avulso non deficit alter. Ita qvippe per heroicam genesim succedere sibi creduntur Magna Nomina, ut ipsis qvoq; sæculis emineant in successura posteritate. Adeoq; non minuet id decorem Tuum Illustrissime Domine, licet ad solennes Tuos applausus institutum volumen hoc, primo Tomo lugubrem Majorum Tuorum memoriam contineat, qvod nulli vnqvam subjacere posse oblivioni palam est. Augent nimirum nativi splendorem Illustrissimæ huiusmodi ceræ, & vbi præsenti junguntur sereno, indices sunt claritatis nullo posthac turbine fatorum exstinguendæ. Anteqvam tamen paginam exornent huiusmodi decora, licet prodromam eorum originem per modum præludij revocare.

Communem naturæ legem superant, & qvandam in nobis sui venerationem excitant, quæcunq; o[illegible]lis debemus. Non enim omnia vulgari gauden[illegible]tio, nec eadem omnibus essentiæ ratio: alijs esse [illegible]ficit, alia simul & esse, & prodesse videmus, ad[illegible]

h[illegible]

hæc excellentiori qvodam modo anteqvam producit natura, certis prius utitur præsagijs: sic viliores fungos absq; omni prævio contemplamur indicio, fructus autem rariores anteqvam fæcunda producat arbor, gemmis primò futuri partûs valorẽ æstimandũ proponit, folia demum grande aliqvid notatura explicat, floribus tandem vndeqvaq; contegitur, & qvo potest modo lætitiam suam videtur explicare. Non alia methodo vestrum qvoq; insigne Orbi Polono innotuit, aliqvantisper sub involucro latente veritate, donec per os Augustum divulgaretur. Patuitq; tunc Cæsarem illum rem non verba locutum fuisse, qvanqvam nihil simile cogitantem. Symbolum æternitatis annulus ille Imperatoriæ injectus Gazæ, nec metas rerum, nec tempora Vestræ gloriæ imposuisse credebatur, nec aliter compensari potuit, qvàm debita gratiarum profusione. vbi non obscurum erat, qvanqvam exoticum idioma Patrij decoris Vestri indicium, subitò scilicet inter Sarmatica insignia referendum. Et præcipua qvidem dotis huius Sors cecidit super MATTHIAM WARSZYCKI Ensiferum Lancicicnsem, qvi non sine omine ferro gestando destinatus, ut nimirum constaret omnibus, hoc solummodo metallum placere illis Heroibus, qvibus aurum spargere propemodum connaturale. Sed neqvè hoc absq; prodigio, quòd huius loci Ensifer heros hic fuerit, cuius Tu Illustrissime Domine dignissimus Capitaneus es; prælusisse scilicet ille honori Tuo voluit, & commisso posthac licet post longa tempora eodẽ munere ILLUSTRISSIMO PARENTI Tuo quodammodo visus est innuere, Tibi qvidem iure merito munus hoc, non tamẽ sine prævia huiusmodi pompa conferendum. Sarmaticum pugilem hunc, suus deinde seqvi debuit exercitus in Illustrissima progenie, ac primò non

degeneri paſſu Polonum Æneam comitatus Aſcanius IOANNES WARSZYCKI, vir etiam ſub rigida Martis educatione gratioſus, qvia Patriæ amantiſſimus, qvam non priùs heroicè defendere, qvàm vivere deſijt; & ubi pugnacem per vulnera effudit animam, etiam poſt fata non uno ore amorem teſtatus in eandem. Grandem hanc Orbis Poloni jacturam compenſavit Illuſtriſſimus STANISLAVS WARSZYCKI, Regni Theſaurariusne dicam an Theſaurus? decidant illi, qvos non latent Poloniæ faſti. Ingens erat huius viri pretium, non vulgari aliqvo, ſed Regio Sigiſmundi III. probatum judicio. Declaravit non ſemel Lechicus Alexander, qvàm gratus illi fuerit hic Epheſtio, poſtqvam in partem Regiæ curæ aſſumptus, probavit ſe non indignum, qvi tantæ placeret Majeſtati. Nec verò placere ſatis erat illi, qvi in multis negotijs etiam prodeſſe in lucrum reputabat. Rebellis tunc erat ſuo non tam Regi qvàm Parenti Svecia, magno ſeditionis authore Carolo Sudermanno vſa: avitum ius Regni Sigiſmundo eripere voluit, qvod hæreditas dedit. Et obſtupuêre tunc ad ſubitaneam Leonis & Aqvilæ diſcordiam Superi, qvòd apud ſe in huiuſmodi animantibus nihil ſimile notaretur; niſi fortè jam tunc alas huic volucri invidebat ferox nimiùm bellua, qvas etiam crudeliter non multò poſt deplumavit. Inventus tamen qvi tantam audaciam confunderet STANISLAUS, oſtenditq; ſuum Poloniæ non deeſſe Alcidam, qvi efferas haſce feras optimè noſſet cicurare. Non illum itineris moleſtiæ, non pelagi furores à propoſitis dimovere poterant, haud ignarum ſcilicet: agere & pati fortia, vt olim Romanorum, ita nunc eſſe Polonorum. Tantis igitur experimentis probato STANISLAO non dubitavit theſaurum Regni committere Sigiſmundus,

cui

cui cor pridem commiſerat, fideliorem ad hoc munus diſpenſatorem vix inveniſſet illo, qvi dum ſe totum Patriæ impendit miniſterio, etiam neceſſitates illius freqventiùs de proprio, qvàm de publico ærario ſublevabat. Tandem ad illos theſauros, qvibus non ditior ſed melior evaderet, animum convertens, qvietiorem vitam elegit in Palatinatu Podlachiæ; qvanqvam & ibi conſveta Reipublicæ nunqvā denegavit obſeqvia, qvibus immortuus ingens ſui deſiderium reliqvit poſteritati. Ac neqvè hîc avida Heroum triumpharunt fata, & virilem tanti auſûs vltionem experta in ANDREA WARSZYCKI Succamerario Siradienſi, qvi & ipſe vir, & tot virorum Parens, imò aureus genitor, non plumbeos in lucem filios edidit, qvibus non ſecus ac firmiſſimis columnis Polonus orbis diutiſſimè ſuſtentabatur. Et qvidem ADAMVS WARSZYCKI Succamerarius Łancicienſis primus Paradyſi hæres, omnis in eo doli expertes ſocios nactus PAULVM Mazoviæ Palatinum, STANISLAVM Caſtellanum Cracovienſem, qvorum vltimus ipsâ ſui memoriâ ſilentium Oratoribus indicit, qvia omni elogio major; Senatûs Lechici anteſignanus, non minùs conſilio, qvàm auxilio clarus, ſæpiùs oſtendit, qvid à ſuo Cive Reſpublica, qvid à Filio reqvirat Patria; liberalitatis exemplar, qvæ ad ipſos Principes qvandoq; pertingeret. Illud qvippe ingenium eſt Fortunæ, vt ſummos qvoq; aggredi non recuſet, qvaſi jam communis cum viliori plebe conflictûs pertæſa, explorare aliqvando non dubitat, qvid etiam poſſit in potentes. Patuit ſimilis eiuſdem progreſſus regnante Sereniſſimo IOANNE CASIMIRO, hunc qvandoqvidem Supremum Regni caput non ignorabat eſſe, per viſcera & alios artus proprios conſtituit adoriri, non ignara, & caput qvoq; labi poſſe, niſi brachio vel ma-

C nu

nu fulciatur, & vtcunq; sanum sit totum corpus, ad vnicam tamen vel minimi digiti læsionem commoveri. Arduus nimiùm tunc in scyrpo Regio nodus fuerat, ubi intra confinia Regni acriùs sævitum in Cives, qvám in hostes alibi; & iam prope in Pharsaliam abierat Polonia, in qva graves fortè qvorundam noxas plectentibus Superis, exploso pridem Iulij ac Pompeij cæco furore bella geri placuit nullos habitura triumphos: iterum hîc insolens audacia STANISLAVM reddidit attonitum, innata nihilominus prudentia adeò circumspectum fecit, vt neq; à libertate abiret, nec peccaret in majestatem. Condoluit nimirum optimus Senator funestæ cladi, & qvod poterat, non neglexit remedium ministrare. Scilicet ea cælitum indoles est, vt nunqvàm sæviant, qvin aliqvam solatij subministrent occasionem; hanc in turbido illo Polonorum statu IOANNES CASIMIRVS cum sua LVDOVICA cunctisq; Aulæ Proceribus, non aliam habuêre præter STANISLAVM. Testis est exhibitæ afflictis Principibus munificentiæ arx ejusdem hæreditaria dicta Dankow vel à dando, vel á Gratijs, & præcipua qvadam WARSZYCCIANÆ dexteritatis expressione. Dicerem pergama fuisse Sarmatica, nisi meliorem nacta fuissent Hectorē, nec Myrmidonum Dolopumvé perfidiæ, nec vllius Achillis ferociæ succumbentem. Qvid memorem cætera huius viri tam in patriam, qvàm in omnes merita, nulla virtus est, qvàm ille ignorasset: omnibus omnia factus, pietatem, & literas non amavit solūmodo, sed omni promovit conatu, illam tam in ore, qvàm in corde conservans perpetuò, nullum ex domesticis ab eadem alienum passus; his qvàm addictus fuerit, abundè Cracovienses testantur Athenæ, nec non Varsavienses Scholæ Piæ comprobant dignissimum hunc Senatorem perenni Scholasticorum

omni-

omnium memoriâ iure merito conservandum. Adeoq; qvidqvid ab his de eodem dicitur, minus est; hoc vnicum ad laudes ejus sufficit, qvòd parem magnitudini gestorum suorum nec habuerit, nec habiturus vnqvam Encomiasten. Nemo qvippe veras virtutes condignè laudavit, qvæ si laudibus attolli non possent, virtutes non essent: ille duntaxat eas laudare posset, qvi novit exprimere. Et jam nos hîc primum voluminis Tomum claudimus, ubi WARSZYCCIANVS Honor altiùs (si coronam excipias) excrescere non potest, qvanqvam vt huius etiam esset particeps Senator dignissimus, ad superos abijt coronandus; hoc unico maximè contentus, qvòd Te Illustrissime Domine, & nominis hæredem reliqverit & virtutis.

TOMUS SECUNDUS

ESse multorum est, & habere corpus, vivere ad paucos venit. Grandem in hoc iniuriam sustinente natura, vt cùm omnibus æqvaliter per causas inserviat, inæqvalem in plurimis effectum experiatur. Non omnia qvippe vivunt, qvæ vivere censentur. Nam, vt alia præteream; etiam ex hominibus sunt, qvibus in solo est vivendi causa palato, & per hoc à brutis non differunt. Animata potiùs cadavera, non homines vivos dixerim, qvos nullus gloriæ sensus afficit, nullus famæ vigor recreat. Corpus ipsum in similibus vivum animæ sepulchrum est, in qvo penitus jam sepulta, esse qvidem vtcunq; creditur, non tamen operari. Ars artium est, nosse vivere; non qvemadmodum vivitur, sed qvemadmodum vivendum est. Nôrunt qvidem hoc, sed pauci admodum, & non nisi qvos æqvus amavit Iupiter, aut ardens evexit ad æthera virtus.

Reliqvos si scruteris diligentiùs, nomen habent, qvòd vivunt; & mortui sunt. WARSZYCCIOS in Orbe Polono vivere probant sæcula, testantur merita, ipsa etiam voluminis huius materia, gentilitia inqvam Domûs Illustrissimæ Litera, qvid aliud exprimit? qvàm vivere WARSZYCCIOS. Ex hac Domo qvot Heròés, tot vivendi prodierunt exemplaria, qvorū vel ad ipsā qvoq; memoriā pagina hæc videtur animari. Illustrissimus Dominus MICHAEL in Warszyce WARSZYCKI Ensifer Regni Capitaneus Petricoviensis dignissimus, Illustrissime Domine PARENS Tuus, singulis honoris sui vocabulis, singulares vitæ modos includit, ostenditq; se nō sibi tantū, nec in se ipso vivere, sed illis etiam, ac in illis, ad qvos vel præcipua illius dignitas, vel singularis munificentia creditur pertinere. Idipsum dum penna qvoq, laborat exordiri, non verba, sed spiritus qvosdam in paginam fundit Martiales. MICHAELIS nomen non sine omine, primariam vitæ rationem indicat, Divini scilicet honoris zelum: absq; hoc non benè vivitur, nemini qvippe rectiùs vita impenditur, qvàm illi à qvo recipitur: cœlumné, an terra MICHAELEM contineat, ubiq; illi cum Dei hostibus pugnandum; Divinus autem hostis, qvisqvis ab orthodoxa fide alienus. Hucusq; forsitan Tribunalitia sedes Petricoviensis iniqvissimam infidelium pateretur viciniam, & Barcicense fanum hucusq; Christianis illudere non cessaret ritibus, nisi & huius subversionē, & illorum expulsionem MICHAEL procurasset. Regni Ensifer qvasi unicus esset in obseqvia patriæ destinatus, omnium qvotqvot in tutelam Patriæ sustentat Heroum spiritu vivit, exhausto Reipublicæ corpori novum qvendam infundit spiritum, dum in ejus obseqvia hastatam unam, loricatam alteram sumptu proprio conservat cohortem. Præterea quotiescunq;

cunq; vel minimum Sereniſſimi Regnantis natum, nè dicam expreſſam percipit voluntatem, nihil jucundius reputat, qvàm in ſimili præſto eſſe occaſione. Verus Poloni Atlantis Hercules, ipſa Superûm ordinatione ſuſtentando Orbi Polono deſtinatus, ne fatiſcat Atlas. Et quanquam alibi Civis Patriæ, alibi arbiter juſtitiæ, hìc Conſus, ibi Mars, vbiq; tamen idem & nuſquam ſibi diſſimilis WARSZYCCIVS. Illuſtriſſimi quondam Caſtellani Cracovienſis non degener ſanguis magnitudinem nominis auxit ſumptâ in conſortium lectiſſimâ ejuſdem filiâ, vivum illius ſimulacrum in tantum exprimens, quidquid uel ad Principum juuamen, uel ad leuamen Patriæ ſpectare aduertit, ſibi uni reputans injunctum, non omittit. Capitaneus Petricouienſis, hìc demum noua viuendi ratio, & quæ non vulgares concernat animos, ſed in ſubſidium aliorum deſtinatos. Gloriari nonnunqvam licuit Auguſto, qvòd lateritiam nactus Romam, reliqverit marmoreã. Qvid de Illuſtriſſimo Parente Tuo dicendum, qvi dum nihil præter ſolam Petricoviæ planitiem invenerit, arcem extruxit ſuâ, & omnium ſucceſſorum perſonâ digniſſimam. Neq; adhuc ceſſat ab opere, ſed qvidqvid dignum immortali nomine reputat, non negligit, ſupremũ in hoc munere imitatus Architectum, cui ſolenne fuerat, ſupra petram ædificare. Et hæc eſt probatiſſima Illuſtriſſimo Parenti Tuo vivendi ratio, qvam ſuſpiciunt plurimi, approbant univerſi. Taceo reliqua, ne in innatam Veſtræ Domui modeſtiam peccare videar; qvanqvam dum ego taceo, ipſa loqvuntur facta indefeſſum illius in promovendo cultu Divino laborem; qvotqvot hìc Religioſi Ordines tot perpetua munificentiæ WARSZYCCIANÆ munimenta. Vnicam Scholarum noſtrarum apello fidẽ, hæ qvantum ab eodem experiantur affectum, nun-

qvam

qvam condignè deprædicabunt, & qvanqvam aliqvid in laudem Veſtram tentare vellent, nimiùm verentur, utpote nõ ignaræ, nihil vobis magis qvàm elogia diſplicere. Sed neq; hæc effugere poteſtis, cùm & hoc non incongruum encomij genus ſit ſilentio laudari, & ea ſit perfectæ virtutis induſtria, ut tam facilè facundis Oratoribus ſilentium imponat, qvàm mutis facundiam. De Te verò dum loqvi cogito Illuſtriſſime Domine, qvidpiam mihi ad aurem ſuſurrat Apollo.

QVod dico ſemper rurſus idem loqvor;
Nil plena proſunt atria imaginum,
Qvas aut avi, aut magnì Parentes
Nobilibus monumenta ceris
Plene relinqvunt. Strenua candidæ
Vt qviſq; tantùm regna modeſtiæ
Admiſit in pectus, novosqvé
Obtinuit generoſa faſces
Et vera virtus: hic Latijs micat
Omnino Gracchis pulchrior, eminet
Hic major Auguſtis. Loqvacis
Vix alias adeuntur arces,
Et clauſtra famæ paſſibus; intimis
Qvàm ſi medullis & probitas manet
Admiſſa, & indoles honeſtæ
Egreditur ſtudioſa vitæ.
Secus per ædes qvi niſi reſpicit,
Et de paterno ſtemmate gloriam
Metitur, in ſuiſq; deſes
Nulla jacit monumenta factis.
Inane lignum eſt, cui Galeas licet,
Et tela, & arcus, & clypeos qvoq;
Appendis, & multo undeqvaq;
Conſpicuas chlamydes cruore:
Inane lignum, non ideo tamen
Truncusq; dici deſtinet. Arboris
Et ſanguinis par ſors; ut illa
Qvò ſenior magis, & vetuſta,
Hoc certius nil, qvàm cariem timet
Sentitq; ; ſic & ſanguis, ut ut calet,
Defervet ætatum per ipſam,
Vsq; adeo ſeriem, ſuiq;

Vix

Vix qvid relinqvit vel nihil. Herculem
Nil esse magno progenitum Iove
Prodesset, in cunis minaces
Ni intrepidus lacerasset angues,
Et illa terræ monstra: velutq; aqva,
In fonte primo qvæ riget, ultimis
Mitescit in venis; & ampla
Qvò ulteriùs proprios propagant
Fluenta fluxùs, hoc citiùs ruunt
Ac detumescunt; sic generis decor
Magniq; natales, freqventer
Per nimiam minuuntur augem.
Non gleba tantùm vilis inutiles
Producit herbas, est lolium suum
Et nobili solo, bonusq;
Sæpe Parens vitiosiorem
Prolem relinqvit. Magno etiam Iovi
Non semper ingens nascitur Hercules:
Martemq;, qvi priùs bibonem,
Mox iterum parit ille Bacchum.

Aliud de Te dicendum, dum enim Te Paternis inhærentem videt vestigijs, ita festinus ad Te decurrit honor, qvasi unus illi in meta esses; & ut eum alij, ita Te ille vltrò reqvirit, utpote capacissimum sui subjectum. Vtcunq; nemo ad honorem suum testudo, ad Te ille pernicem assumpsit Aqvilam, ubi Te primò Vielunensem Vexilliferum Orbi Polono divulgavit, mox novum Areopagus Polonus Lycurgum expetijt, ubi non Fortunam duntaxat, sed Palladem etiam sub Tuo militantem vexillo advertit. Patuit qvantùm obseqvia Tua placerent Themidi, à cujus latere præsens Tibi oblatus honor, advertit se nemini justiùs præterqvam Tibi destinatum. Successisti SZCZAWINIANO Leoni à fatis prostrato, qvatenus tam grandem jacturam in Tuo Volumine connotares. Intulisti tecum tot decora, quot sanguine junctarum familiarum insignia, non qvòd Tibi domesticum serenum desit, sed ut constet omnibus, qvòd etiam cum Serenissimis proximam ha-

beat cognationem. Affulget quippe Domui Tuæ KORIBUTHEA Luna non jam cornuta, sed coronata in Serenissimo MICHAELE primo; nec vulgarem in hoc Volumine conficit asteriscũ. WIERZBOWIANVS Accipiter, qvàm vobis proximus sit, per annulum qvidem indicat, sed magis per Illustrissimam Domicellam Illustrissimi IOANNIS CASIMIRI Comitis in Pilca & Ogrodzieniec Præfecti Oicoviensis lectissimam consortem. Odrowaziana Sagitta vestro militat honori in Illustrissimo IOANNE ODROWAZIO PIĘNIĄZEK Palatino Siradiensi, Pericle Sarmatico fulmineâ svadâ Lechici Tonantis honorem defendente: vnde qvantus decor sit Voluminis Tui Illustrissime Domine, hinc colligendum, qvòd etiam cœlestibus exornatum appareat Hyacinthis. Accessit porro diligens aurei decoris Vestri custodia, in gentilitio Avitæ Domûs BYKOVIORUM Gryphe. Vnde qvantùm Vobis gloriæ, tantùm nobis accrevit lætitiæ, qvi beneficentissimæ nobis utriusq; Familiæ nunqvam sine debita gratitudine possumus nõ meminisse. Nec verò mediocrẽ Tomo huic auxesim facit amantissimus Germanus Tuus GEORGIUS Magni Nominis hæres, ex qvo grande aliqvid præsagire videtur Patria, & tantisper deliberat, qvidnam sit generosæ illius indoli non incongruum oblatura. Ubi enim vel ex ipso nomine Martialem conijcit animum, in immanes hostium dracones paratum, optima qvæq; de ulteriori successu auguratur. Nec immeritò: postqvam enim ille non levia Tui erga Patriam amoris advertit experimenta, dum scilicet verus Polonæ Aquilæ pullus Serenissimo IOANNI nostro in Budziacensibus campis opportuna contra Tauricanos Gigantes fulmina ministrares, hoc ipso verior Castor, non degenerem Pollucem Tuum visus es animare, ut

non

non jam alternis vicibus, ſed eodem gloriæ lumine reſplenderet. Paſſus tamen Te & per reverentiam, & fraternum affectum ad tanta præiviſſe decora, paulò poſt eundem immortalis famæ curſum ingreſſurus. Interea Tu Illuſtriſſime Domine felici paſſu progredere, qvo Te propria evocarûnt merita. Excipit Te non ſine ingenti lætitiæ ſenſu in applauſum Tuum effuſa tot tantorumq; Capitaneatûs Łancicienſis Procerum corona, & qvò ſecurius reſideas, cor offert in ſubſellium. Auget ſolennem ingreſsûs Tui pompam Sereniſſimus Monarcha IOANNES III. expreſſo diplomate Paternum in Te affectum abundè teſtatus. Nos verò, qvibus tanto applauſui non licet intereſſe, indicem geſtientis animi Volumini huic claufulam apponimus.

Prima hæc litera in calamum influit,
cui tamen deſcribendæ ſæculis opus non annis.
Feraciſſima meritorum Domus
unicâ literâ laudes ſuas abſolvi voluit,
Ac ſi potiſſimum merentis elogium merviſſe.
Pſittacorum eſt tønare qvidqvid egerint.
Salutaris ſemper Patriæ litera, hoſti exitialis;
Et qvæ integrum plerumq; Volumen ex ſe conſtituat.
Vertitur obſeqvio Patriæ,
Dum W in literas X diviſum
Crucem erigit, in qvam hoſtes agat Sarmatiæ.
Ita ſuos habet Pauſanias Polonia,
A qvorũ qvadriga, nõ tã domeſticis Philippis timendũ qvã extraneis monſtris
Hem! bellatori animo ipſa Nomina pugnant:
Et ubi minime putaverit, pœnam reperit perfidia.
Monoſyllaba mors jam etiam ex unica litera conſtat.
Timuerit aliqvando à literis Licinius, ab hac Patriæ hoſtis timet,
Qvæ pugili impreſſa charactere, ſtylum profert Thraciæ fatalem.
Abdank eſt,
Et qvidem redditam ſonans gratiam, ubi tamen non vna ſed mille gratiæ.

Cæsaris illum vox expressit, timidi qvidem, Cæsaris tamen.
Et hoc grande elogiũ, ex Imperatorio ore progre[illegible]i
Vnde nulla communiter verba, nisi oracula.
Altius, qvam par erat, evaserat Henrici tumor,
Qvi Germanicus Antiochus
In auro & tinnulis phaleris positam existimans victoriam,
Thesauros Poloniæ Legato fastuosiùs ostentabat.
Sed depressa ambitio,
Dum additum auro aurum, thesauris annulus ex Legati manu:
Docuitq; Polona dexteritas qvòd ferro res eget & manu
Inutiles gemmæ Hydaspi vel Tago debentur, nõ Martiali Rubiconi,
Egit grates Henricus, & orbis simul didicit,
Poloniam jam tunc temporis illã fuisse, cui Cæsares gratias agerent,
Legatum tantum, qvi Augustos etiam ditare posset;
Admiratus alterum apud Sarmatas Scævolam Germanus Porsena,
Et adoravit indolem, cum virtus invidiam habeat etiam vectigalẽ.
Argumentata tunc hostilitas,
Qvis esset Serenissimus Poloniæ Sol, si tantus Phosphorus?
Qvæ fulmina à Krivousto Iove sperari debuerant,
Si prodromus Alcides ijs tonitribus egit?
Risit Bellona, dum armorum tædia, in amorum tædas vertit:
Et Habdancius, qvem belli vel pacis Legatum Polonia legerat,
Paranymphum egit.
Vbi illo, illo, qvem ad Cæsaris opes adjecerat annulo,
Aldegundim Henrici sororem Boleslao,
Christinã filio Vladislao postea secũdo desponsavit.
Memoria æternitati historia,
Nisi qvòd stemmatis huius Familiæ
Tomos alios, & Volumina non qværunt,
Vnicâ hac literâ contentæ.
Qvæ an integris non præstat bibliothecis?
Cùm à mille prope annis rem actam hucusq; loqvitur,
Æternùm locutura,
Et magnis WARSZYCCIORVM operibus,
Non duorum tantùm, sed mille etiam Tomorum
Ingens exhibitura
VOLVMEN.